



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.l.], 1645**

§. 8. Amphilo hij simplicißimi profunda & audax sapientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

instruxit, ut Mundi sapientiam confunderet; doceretque, nullum pusillum, nullum quantumvis simplicem esse contemnendum. Sic exaltatur à DEO humilitas, sic sublimitas humiliatur.

## §. VIII.

*Amphilochij simplicissimi profunda & audax sapientia.*

Niceph.  
Callist.  
l. II. hist.  
Eccles. c.  
9. Sozom.  
lib. 7. c. 6.  
Theodor.  
l. 5. c. 16.  
Trip. c. 35.

Nicephorus, Sozomenus aliq; com-  
rès testantur, fuisse Iconij senem  
Episcopum Amphilochium dictum, anti-  
quæ simplicitatis hominem, qui Theodosi-  
um Magnum Imperatorem ausus est adire,  
eique libellum supplicem dare, quo Theo-  
dosiùs monebatur, ut impios Arianorum  
conuentus, ex vrbibus proscriberet. Neq;  
enim minùs nocere infectione hæreticos  
censebat, quàm pestilentia correptos, qui  
luem, etiam, in maximè cautos, propagant.  
Imperatori durior ea inhumaniórque peti-  
tio videbatur, ut qui clementia atq; bene-  
uolentia capiendos Arianos putaret, im-  
prudentemq; Episcopi zelum in alia tempo-  
ra quietiora differendù arbitraretur. Quid  
ibi fecit sapientissima Amphilochij simpli-  
citas? quibus machinis porrò quaterè Im-  
peratoris animum instruit? Est tempus, cum  
filendo

filendo plus efficimus, quàm loquendo. Igitur quàm sincerâ ingenuitate petitionem suam explicauit, tam prudenti patientiâ repulsam passus tacuit. Existimauerat Imperator, homini aquam hæsisse, nec iam argumenta solùm, verùm etiam verba deesse. Erras, erras, ô Imperator, non est stultitiæ signum, posse, tacere. Garrulorum sermo, vti vilis; ita & excors est. Solus ille verè sapit, qui habet linguam in potestate. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & preciosi spiritus vir eruditus. Hinc, stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.*

Pro. 17.  
27.

Amphilochius igitur, tanquam elinguat, abijt; sed silens consilium coxit, toti Ecclesiæ profuturum. Paulo enim post facinus dignum memoria fecit; & vtrique alijs quoque imitandum, si mortales tam facile pro Christi gloria, quàm pro Principum oblectatiunculis, stulti sustinerent reputari. Quippe occasionem captauit, vt, cum alijs Præsulibus in aulam venientibus, & ipse veniret. Ibi, vti mos, & parerat, cum alijs Episcopis Imperatorem quàm decentissimè consalutauit. *Recta inde ad filium ipsius,*

V

qui

qui admodum nuper ad Imperiū lectus fuerat, digressus, eum impolitè atq; inurbanè gestūque subrustico tractare cœpit. Neque enim eadem illi, quæ patri eius, obseruantia honorisque signa exhibuit; sed tanquam si de vulgo, aut coloni terræue filius esset, ita cum eo, quasi cum puero colloquēs, manūque eum, contra omnes leges aulicas, demulcens: *Saule & tu, ô puer*, inquebat. Hæc cum videret Theodosius, senem Amphilo-chium ætate desipere existimabat, & vtique rudiore animo, rusticum, non aulicum, in aula, agere cogitabat. Itaque simplicitatem hominis instruendam censuit, docuitque, quibus cærimonijs filius esset salutandus. Iterum erras, ô Imperator, non tu illum, ille te docebit: tui, non illius mores, sunt culpandi.

Audijt igitur Amphilo-chius Imperatorem, instructionemq; illius, leui risu, refutans, quasi per contumaciam, respondit: sufficere filio eius iam exhibitum à se honorem. Hoc dicto Theodosius ira percitus, & non secus, ac si filius atroci iniuria affectus esset, grauiter commotus, Episcopum delirantem, cum conuicio, abduci iussit. Cithara vt sonet, percutienda est: idem huic Episcopo

epo accidit. Tangebatur iam & satellitum manu ignominiosè foras protrudebatur, cum renidente ac sereno ore conuersus, consiliúmque in animo occultatum sonantissima voce proferens: *Videſne, ô Imperator, inquiebat, quàm tu indignè illatam filio tuo injuriam feras? Vides, quàm vehementer & incensè, ob compellationem minùs urbanam decentémque, in me, exardescas? Sic scilicet existimare te oportuit, succensere etiam cœlestem Imperatorem, & Patrem Vnigeniti, propter eos, qui non communem illi tribuunt honorem, sed dissimilem & longè minorem Patre vocare audent.*

Hic vidisses, quid diuina possint. Etenim Imperator, cum inde rem actam intelligeret, & verba illa confidentissimè aptissimèque prolata admiraretur, velut fulmine iactus, ita quàm primùm sacerdotem Dei ad se accersuit, atque ad pedes eius accidit veniam petens, publicaque voce professus est, non Episcopum, sed se simplicem fuisse atque ignorantem; neque aliter, quàm ipse dixisset, se rem habere. Igitur in ea sententia confirmatus, postea eos, qui aliter, quàm Nicææ statutum fuerat, opinarentur, extremè auersatus est. Contentiones in foro, & inanes

conuentus inhiuit; disputationibus, de Deo & natura eius, finem omninò impo-  
suit, & constitutione publicè proposita, pe-  
riculum, qui ei non parèrent, denunciauit,  
pœnâsque, contra hoc edictum acturis, se-  
uerissimas est comminatus. Ita factum, vt,  
Arianis & Eunomianis pulsis, τῆ ἀποστολῆς  
*consubstantialis* fidei professores Ecclesiâs  
moderarentur. Ita astutiam simplicitas  
supplantauit.

## §. IX.

*Quantum esset saepe emolumentum; si, qui  
possunt, Principibus auderent verita-  
tem ingerere?*

Liceat saltem mihi, ex hac historia, ali-  
quid discere, si alij nolunt. Nempe illud  
disco, vt non diffidam simplicitati meæ, sed  
quæ ad diuinum honorem; quæ ad Reli-  
gionem orthodoxam, & conseruandam, &  
propagandam; quæ ad iustitiam pacis &  
belli obtinendam faciunt, & quæ mihi à  
bono Genio, immò à bono Deo suggerun-  
tur, ea, cum locus, aut tempus iubet, liberè  
proferam. Si apud Principum aures, si in  
curia Regum, si in maximis aulis mihi locus  
non est; saltem illis identidem occinam, &  
circa illorum aures circumsonabo, qui pro-  
ximi